

CIRCA ANNUM MCLXXX.

# JOANNES CORNUBIENSIS

## NOTITIA

(FABRIC., *Bibliotheca mediæ et inf. Latinit.*, IV, 67)

Magister Joannes Cornubiensis, Anglus theologus circa an 1170, scripsit, si Possevinum audimus, ad *Eulogium de homine assumpto*. Sed titulus libri est *Eulogium*, scripti ad Alexandrum III papam, in quo contra Abailardum et Petrum Lombardum (1) disputat, docetque quod *Christus sit aliquis homo* sive secundum humanam naturam sit aliquid, verus nempe homo ex anima rationali et humana carne subsistens: qua de controversia conferre juvabit Petavium lib. v. *De Incarnatione Verbi*, cap. 6, 7, 8, 9, et cancellarium Wirtenbergicum Pfaffum libro *De impersonalitate et perpetuitate humanæ Christi naturæ*, Tubing. 1722, 4<sup>o</sup> atque Edmundi Martene admonitionem præviam Joannis Cornubiensis *Eulogio* præmissam, qui illud primus in lucem edidit tom. V *Anecdotorum*, pag 1657, 1702. Paris. 1717, fol. In ms. codic. bibl. Baliolensis Oxon., teste. Caven, inscribitur: *Discussio super philosophia et hæresibus*. Bis autem de hoc argumento scripsisse Joannes noster cognoscitur, semel brevius, quod inter Hugonis Victorini scripta tom. III, pag. 68, legitur sub titulo *Apologia de Verbo incarnato*; deinde prolixius, quod ab Edmundo vulgatum jam dixi. Cætera ejus scripta laudantur: *Summa, qualiter fiat sacramentum altaris per virtutem S. crucis et de septem canonibus sive ordinibus missæ* ms. Cantabrigiæ. Etiam hoc scriptum exstare editum inter Hugonis Victorini Opera t. III, p. 399, seq. *Commentarii in plura S. Scripturarum. Discevationes. Epistolæ ad diversos*. Vnde Lelandum cap. 200; Baleum III, 6; Pitscum, pag. 236 seq.

(1) Lelandus De scriptoribus Britannicis, p. 227: *Eulogium a Joanne scriptum causa inimicitie magna fuit inter eum et Petrum Longabardum Theologum insignem; cujus et adhuc penes me exstat apologia quæ Eulogio Corinthiani accurate, severe et acute respondet, et veluti cum hoste de triumpho ambitiose miles veteranus contendit.*

# JOANNIS CORNUBIENSIS

## APOLOGIA.

## DE VERBO INCARNATO

Continens objectiones contra eos qui dicunt Christum non esse aliquid secundum quod est homo.

(Exstat inter Appendices ad Opera Hugonis Victorini, *Patrologiæ* tom. CLXXVII, col. 295.)

# EJUSDEM EULOGIUM

AD ALEXANDRUM III PAPAM

## QUOD CHRISTUS SIT ALIQUIS HOMO.

(D. Edm. MARTEN., *Thesaur. Anecd.*, V, 1655.)

## ADMONITIO PRÆVIA.

Sæculo duodecimo inter doctores scholasticos plurimæ agitari cæperunt quæstiones, quæ cum subtilitatis et curiositatis plus habent quam veritatis, non paucos in errorem inducere, sed et præcipuè Christianæ religionis fundamenta convellere poterant. Harum præcipuè propagatores fuerunt Petrus Abailardus et Gilbertus Porretanus Pictavorum episcopus, quorum ille in concilio Suessionensi primum, deinde in Seno-